



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Quibus è rebus Ioannis sanctitas colligatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

uersis in locis conqueruntur; satius, quando ea probata fuerint Apostolicę Sedis auctoritate, simul omnia vulgabuntur; maximè ex quo sic fieri placuit Pontifici Maximo Christi Vicario, cuius publico decreto in posterum vetitum est historias vllas de viris opinione sanctitatis claris, nisi eā lege conscribi. Atque eius sane voluntati ab omnibus paré dum promptissimè est. Quamquam apud me nihilo magis miracula qualiacumque valere possunt ad probandum mihi Angeli huius innocentiam, atque ista cogitatio, quā recordor, quantos ipse viderim animorum motus, quos fructus, quos effectus per mortem, opinionemque sanctimoniae eius excitatos in animis Patrum, Fratrumque Collegij Romani & Transalpinorū, ac maximè Flandro-Belgarum: quantam denique utilitatem scholasticæ iuuentuti attulerit religio pietatisque in eum prouocata. Quicumque certè huc oculos aduerterit, quām multi vitæ mortisq; illius exemplo permoti, atque in se conuersi, laxiorem viuendi rationem correxerint, reflectisque ad viuum vitijs (quibus à vitæ perfectionis cursu retardabantur) totâ se animi contentionе ad orandi studium, ad voluntiarum afflictionum usum, ad acrem sui custodiam, ad legum accuratam obseruationem, ad assiduam cælestium rerum in collo-

O 4

quijs

quijs tractationem , ad flagrantissimam de-  
nique animorum Deo lucrandonum occupa-  
tionem contulere; haud alia desiderabit mi-  
racula , vt credat , Ioannem fuisse iuuenem  
omni virtutum genere florentem, Deoque in  
primis charum. Qui intellexerit, quantum  
Ioannes castitatis suæ exemplo valuerit ad  
seruandam pudicitiam atq; honestatem eo-  
rum adolescentum qui Collegij nostri Scho-  
las frequentant ; quām multis illi se sentiant  
illecebris oppugnationibusque, eo inuocato,  
liberari; quantus eorum sit numerus, qui illius  
imitatione statuerunt, desertis sæculi vanita-  
tibus , ad Religiosas familias conuolare ; ne-  
cessitatem est, vel nullis alijs miraculis allatis, exclu-  
met; *Digitus Dei hic est.* Sed vt nullius tamen  
generis approbatio huic Dei seruo Virginis-  
que filio abesset ; visum præterea Deo est vi-  
sionibus , apparitionibus , reuelationibusque  
indicare gloriam quam ei inter Cælites con-  
tulit, vt olim constabit, quando typis vulga-  
buntur excusa.

Hæc pars aliqua est earum rerum, quas de  
vitâ morteque Ioannis Berchmanni assequi  
valui testimonijs hominum fide dignorum.  
Vtinam Deo placeat, & viuum eius ope imi-  
temur , & mortuum in æternam gloriam  
subsequamur ! Amen,

PARS